

204

202

208

198

213

193

253

153

303

103

Ende

Anfang

189

Quam si dare nolueritis, vobiscum libens revertar usque Venetias, sed Venetiis procidam ad pedes vestrarum Dominationum et expensas petam revertendi huc, nec unquam Alpes transcendam, nisi montem Dei Oreb et Synai ascendero, et sepulchrum beatissimae Katharinae Virginis visitavero. Hoc enim voto dudum emissso promisi. Cum autem Domini mei audivissent hanc meam intentionem, et serium vidissent, deliberandi spatium acceperunt, et post horam me revocantes licentiaverunt. Et ne, inquiunt, putetis, quod nobis non fueritis dilectus capellanus, ostendimus signum nostrae dilectionis ad vos in nostra separatione, et contribuemus et subveniemus vobis in expensis. Si autem nihil factum fuerit de illa peregrinatione, vel vos poenituerit, eritis in nostro consortio sicut prius, et deducemus vos usque in domum vestram. Hoc cum audivissem, gratias egi cum debita et condigna reverentia Dominis illis, et me pro hac gratia in perpetuum eorum obsequium exhibui: et peregrinationem hanc ita me facturum promisi, ac si ab eis ad hoc motus et missus fuisse. Tantum autem laetificatus fui ex illa licentia, quantum fui Ulmae dum data fuit mihi licentia ire Jerosolymam. Hoc ergo sic juxta votum adepto transivi per galèam ad milites mihi notos, an aliqui inter eos ad Sanctam Katharinam essent peregrinaturi, et inveni quinque electos nobiles milites, qui in scriniis pectoris sui hoc hucusque celaverant. Post prandium descendit de galèa in barcam et duci me feci ad galèam domini Augustini, ac si aliquos (**73 A**) mihi notos visitare vellem. Dum autem ad eos venissem, secrete investigavi de illa peregrinatione montis Synai a quodam mihi magis noto, qui occulte dixit mihi, quod XII peregrini essent in eadem galèa, qui inter se conjurassent ad illam peregrinationem peragendam, inter quos unus et principalis esset dominus Johannes de Solms, Comes; nollent tamen hoc praedicari in publico, sed in occulto haberi. Nam semper illi peregrini, qui intendunt visitare montem Synai, occultant, quam diu possunt, illa ratione, ut si illos non ire contigerit, non derideantur. Porro magna mihi cura erat statim explorare, an aliqui essent montem Synai adituri, quia experientiam habui, nisi hoc in navi existens fecisset, in terra sancta et in Jerusalem, veritatem vix hujus

